



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Articulus II. De Casibus Reservatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

lidè absolvere in tali loco, tempore, & tales personas, pro quibus non est approbatus. At sine approbatione actu existente invalida est absolutio.

Q. 14. *An Sacerdos non approbatus potest absolvere à venialibus?*

Resp. Non potest saltem licitè ex decreto, Innocentii. XI. Edito an. 1679. *Non permittant (Episcopi) ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Confessarii etiam Regulares, aut quicumque alii secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse neque, de futuram Episcoporum & Ordinariorum justam & rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jesu. Imò neque etiam validè posse videretur; quia Sacerdos vi ordinationis non habet jurisdictionem, neque subditos etiam solum venialium reos. Nemo autem potest absolvere à peccatis sine jurisdictione ordinaria, vel delegata ex Trid. sess. 14. c. 7. cum absolutio sit actus judicialis, qui non potest exerceri, nisi in subditos; & jurisdictio delegata validè exerceri nequit sine approbatione.*

ARTICULUS II.

De Casibus Reservatis.

Casuum seu peccatorum reservatio est subtractio potestatis absolvendi à certis peccatis,

catis, salvâ potestate absolvendi ab aliis. Ex Trid. sess. 14. c. 7. & can. 11. constat à Papa pro tota Ecclesia, & ab Episcopis pro sua Diocesi reservari posse peccata, à quibus alii non possint validè absolvere sine potestate ab illis delegata. Ratio est: quia ad validè absolvendum requiritur jurisdictio, quæ cum sit penes dispositionem Ecclesiæ, potest ab ea restringi, negari, & subtrahi.

Q. 1. Quænam requiruntur, ut peccatum censeatur reservatum?

Resp. Ex praxi Ecclesiæ tria requiruntur. 1. Ut sit mortale, nam venialia non reservantur, cum non sint materia necessaria Confessionis. 2. Ut sit externum; nam licet mere interna possint absolutè reservari, cum ad ea remittenda requiratur jurisdictio, quæ potest à Prælati Ecclesiæ restringi & denegari; tamen ipsâ sola externa communiter reservantur: quia hæc reservatio ordinariè sufficit ad bonum regimen animarum. Ut autem peccatum externum censeatur reservatum, non sufficit quod habeat mortalem malitiam ex actu interno: sed insuper requiritur ut ipsa actio externa habeat malitiæ gravitatem; nam reservatio præcipuè cadit in actum externum malum, ac proindè requirit actum externum mortalitèr malum ex objecto. Et sicut sola voluntas interna non reservatur; ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex se gravem malitiam. Hinc si fur-

tunt

tum in loco sacro esset reservatum, & aliquis aliquid leve haud sufficiens ad mortale surripisset ex voluntate aliquid notabile surripendi si occurrisset, tale furtum etsi mortale, reservatum non esset. 3. Ut peccatum sit consummatum, nisi aliud in statuto exprimatur: quia reservatio, cum sit quid odiosum seu onerosum, est strictæ interpretationis. Hinc reservata fornicatione, vel homicidio, non reservatur voluntas interna fornicandi, etiam adhibito externo conatu, nisi fuerit copula carnalis; nec percussio gravis ex animo occidendi, nisi sequatur mors. Dixi, *nisi aliud exprimatur*, nam aliquando reservantur etiam actus non consummati: sic sola provocatio ad duellum, & ejusdem acceptatio expressè reservantur, etiam si non sequatur conflictus.

Sunt qui docent peccata impuberum non esse reservata, nisi exprimantur; quia in ipsis non reperitur necessitas Episcopalis correctionis: hoc tamen pendet ab Episcoporum arbitrio; quare eorum intentio ab ipsis exquirenda est: nam cum impuberes possint esse subjecti censuris, quidni & reservationi? Porro contrahitur reservatio etiam invincibiliter ignorata, nam non est proprie poena, nec contumaciam requirit, ut Censura.

Q. 2. *An peccata dubia censentur reservata?*

Resp. Neg. Plurimi in dubio facti: quia reservatio cum sit odiosa, debet restringi ad casus certos, non extendi ad dubios. Ideo quæ
reser-

reservatâ ebrietate, intelligi debet ebrietas certa, quæ sola est ebrietas simpliciter & absolute. Hinc qui admisit peccatum ex suo genere reservatum, sed dubitat an cum advertentiâ vel consensu sufficienti ad mortale, non incurrit in reservationem.

At in dubio juris, cum nempe dubitatur an peccatum mortale Pœnitentis sit reservatum, Confessor non potest ab eo absolvere, nisi Superior expresserit se nolle in tali dubio reservare: nam hoc ipso quod constat peccatum esse materiam reservationis, sed dubitatur an Superior illud reservarit, tunc dubium est de potestate ab eò absolvendi: non licet autem absolvere cum potestate dubia. Adde quod Clemens VIII. prohibuerit omnibus Confessoribus, etiam privilegiatis in Italiâ degentibus, *ne quis eorum, sub pretextu privilegiorum, ab ullo ex casibus clare vel dubie in Bulla in Cœna Domini legi solita contentis, vel aliâs quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis vel reservandis absolvat.*

Q. 3. *Quinam absolvere possunt à reservatis?*

Resp. I. Ipse reservans, vel ejus Successor, aut Superior in hoc foro erga eosdem subditos, & quivis alius, qui ab illis hanc facultatem obtinuit. Nam reservans reservando retinuit pro se jurisdictionem, & Successor habet eandem cum illo potestatem: Superior verò potest id omne quod potest inferior.

Resp.

Resp. II. Ex Trident. sess. 24. c. 6. Episcopi possunt suos subditos in foro conscientiae absolvere ab omnibus peccatis Papæ reservatis, occultis nec ad forum contentiosum deductis possunt etiam ab aliis, quando subditi propter legitimum impedimentum non possunt Papam adire, ex c. 6. de *Sent. excom.* ne videlicet ex dilatione absolutionis periculum immineat animarum.

Resp. III. Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, & excommunicatus saltem toleratus, potest quoslibet in articulo mortis absolvere à quibusvis peccatis & censuris, in defectum Sacerdotis approbati. Constat ex praxi Ecclesiae, & ex Rituali Romano, quod sic habet: *Si periculum mortis immineat, approbatusque desit Confessarius, quilibet Sacerdos potest à quibuscumque censuris & peccatis absolvere.* Nam tunc Ecclesia hanc potestatem omnibus Sacerdotibus, saltem toleratis censetur concedere, & reverà concedit, ne pereant animæ, defectu absolutionis validæ tunc præsertim adeò necessariæ.

Dixi, in defectum, &c. Nam si facile haberi possit Sacerdos approbatus, alter non poterit absolvere, ut docet S. Carolus in instruct. Confess. quia hæc potestas concessa est ob necessitatem moribundi, nec est periculum, dum facile absolvi potest à Sacerdote approbato, & habente jurisdictionem expeditam. Quare Rituale Romanum præter periculum

mortis ad hoc requirit defectum Sacerdotis approbati.

Porro omnes Sacerdotes approbati tunc æque possunt de omnibus mortalibus absolvere, & sic per se loquendo quoad valorem absolutionis nullus est inter illos ordo servandus; quia in articulo mortis nulla est reservatio, ut docet Trident. sess. 14. cap. 7. his verbis: *Piè admodùm, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Circà hoc observanda sunt sequentia.

1. Multi docent posse tunc moribundum absolvi à Sacerdote excommunicato non tolerato, & hæretico in defectum alterius; quia Trid. dicit *omnes Sacerdotes posse*. Sed hæc negant alii cum Fagnano, qui in cap. *non est vobis* de Sponsal. testatur S. Congregat. Cardinalium Concilii Trident. interpretum, inter quos caput fuit Cardin. Moronus, qui paulò antè fuerat Legatus Apostolicus in Concilio, cujus proindè mentem probè norat, declarasse verba Concilii restringi ad Sacerdotes in unitate Ecclesiæ viventes, & habiles ac capaces jurisdictionis exercendæ, quales non sunt excommunicati non tolerati, & hæretici ac schismatici notorii. Et verò inquit in Ecclesiâ Dei non fuit semper custoditum, ut præcisi ab unitate Ecclesiæ possint absolvere in casu neces-

necessitatis; cum imò potius certum sit, ex communi sententia eorum, qui antè Conc. scripserunt, non potuisse. Toletus docet hæreticos & schismaticos, supple notorios, id non posse secundum communem, quia Ecclesia nòluit eis dare jurisdictionem ob periculum perversionis fidelium, sed putat alios posse.

3. Per articulum mortis hic intelligitur gràve ac morale mortis periculum: nam ista ex usu Ecclesiæ in hâc materiâ pro eodem usurpantur, ut constat, ex. C. eos qui de sent. excom. in 6. & Rituali Rom. quia pia mater Ecclesia non censetur velle quemquam exponi periculo probabili damnationis. Et in articulo stricto mortis quando jam vita desperata est, sæpè, imò ferè semper fieri nequit Confessio.

4. Absolutus à peccatis reservatis non tenetur postea, si convaluerit, adire Superiorem, vel ejus delegatum. Quia, cum in illo articulo nulla sit reservatio, quivis Sacerdos habet tunc potestatem à quibuslibet peccatis etiam alioqui reservatis absolvendi directè, & sine onere illa confitendi Superiori. Secus de censuris.

Q 4. *An Regulares privilegiati habentes potestatem absolvendi à casibus Papæ reservatis, possunt ideo absolvere à casibus Episcopo reservatis, sine facultate Episcopi?*

Dd 2

Resp.

Resp. Neg. Ita expressè declaravit Clemens X. constit. *Superna* & Alexander VII. oppositum damnavit.

*Q. 5. An Sacerdos approbatus carens potestate absolvendi à reservatis, potest aliquando directè absolvere à non reservatis, & indire-
ctè à reservatis?*

Resp. Circà hoc duplex est sententia. Prima, quæ est communis, docet id posse in duobus casibus. 1. Si Pœnitens inculpate oblitus est aliquid reservatum, vel si bonâ fide illud confiteatur Sacerdoti non advertenti esse reservatum: quia alioqui si illud in perpetuum oblivisceretur, vel semper uteretur eodem Confessario, numquam accepturus esset absolutionem extra articulum mortis; & sic posset perire occasione reservationis, cum multi moriantur sine absolutione accepta in articulo mortis. Unde meritò censetur Ecclesia tunc dare potestatem absolvendi directè à non reservatis, & indirectè à reservatis, cum onere postea reservata confitendi Sacerdoti habenti potestatem in illa. Quam sententiam S. Carolus tenendam proponit in sua Diœcesi, in quâ proinde dat hanc potestatem. Volunt autem alios Episcopos censeri eandem potestatem concedere hoc ipso, quod non contradicunt sententiæ communi id afferenti, quam ignorare nequeunt. 2. Si Sacerdos habens reservata nequeat omittere celebrationem sacri sine gravi scandalo, nec ad-

fit Confessor habens potestatem in reservata: quia cum quilibet sibi peccati mortalis conscius teneatur Confessionem præmittere Communioni, credibile non est Ecclesiam sic instituisse reservationem, ut tunc à peccatis absolvi nequeat, directè quidem à non reservatis, & indirectè à reservatis, malleque eum cum incerta Contritione non Confessum celebrare, quam Confessionem Communioni præmittere. Tunc autem docent necessariam esse Confessionem peccatorum omnium etiam reservatorum: quia scilicet sine illâ status poenitentis nequit sufficienter innotescere Confessario, ut satisfactionem debitam imponat, & opportuna remedia suggerat. Item remanere obligationem peccata reservata iterum confitendi alteri Confessario habenti potestatem in illa.

Secunda sententia negat in ullo casu extra mortis periculum posse: quia peccata non reservata remitti nequeunt sine reservato: nam unum mortale sine alio remitti non potest. At in nullo casu extra mortis articulum peccatum reservatum potest per Confessarium carentem potestate in reservata remitti etiam indirectè. Quia 1. Trident. sess. 14. c. 7. ait Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casibus reservatis. 2. Si Confessor carens potestate in reservata posset in aliquo casu extra articulum mortis indirectè ab illis absolvere, potest à fortiori in articulo mortis, & ita abs-

que ratione Tridentinum declarat nullam esse reservationem in articulo mortis, ne quis occasione illius pereat; manente enim reservatione etiam pro articulo mortis, poterit adhuc poenitens absolvi ab omnibus peccatis à quovis Sacerdote, directè quidem à non reservatis, & indirectè à reservatis, atque ita reservatio nulli poterit esse occasio pereundi. Unde ulterius satius erit reservationem manere, quam tolli pro articulo mortis; sic enim melius prospicitur vigori disciplinæ sine periculo salutis animarum. Cum adest peccatum reservatum, tota causa ad Superiorem judicem devolvitur: ergo nihil in ea potest inferior.

Jam verò fatentur Poenitentem, qui reservatum aliquod peccatum in perpetuum oblitus est, nunquam accepturum absolutionem peccatorum à Sacerdote carente potestate reservata; posse tamen in articulo mortis à quocumque absolvi; quia tunc cessat omnis reservatio. Non ideo tamen timendum esse ejus salutem: quia si bona fide faciat quod in se est cum auxilio gratiæ, benignitas divina ei prospiciet, aut procurando ei Confessarium habentem potestatem in reservata, aut ei impertiendo gratiam Contritionis & charitatis perfectæ. Dicunt autem Sacerdotem, qui in necessitate celebrandi nequit confiteri, nisi carenti potestate circa reservata, censeri non habere copiam Confessoris: ideoque teneri tunc elicere solum Contritionem perfectam, & posse

stea confiteri habenti potestatem absolvendi à reservatis.

Porro consentiunt omnes inferiorem non posse licite, sine necessitate cogente, absolvere à non reservatis, remittendo poenitentem ad Superiorem pro reservatis: quia integritas est de jure divino, & non debet prætermitti sine cogente necessitate.

Q 6. An si quis Confessus habenti potestatem circa reservata, omiserit ex oblivione inculpabili peccatum aliquod reservatum, hoc ipso sublata sit reservatio peccati illius, ita ut possit postea directe ab eo absolvi, per quemvis Confessarium approbatum?

Resp. Cum non sit certum tunc reservationem tolli, in praxi debet poenitens peccatum reservatum oblivione omissum confiteri habenti potestatem in reservata, ut ab eo directe seu secundum se absolvatur. Idque videtur exigere finis reservationis, qui est, ut conveniens medicina, & satisfactio à Superiore vel ejus delegato pro tali peccato imponatur. Excipe si tempore Jubilæi omnia præstitisset quæ ad illud consequendum præscribuntur: nam tunc Papa Jubilæi gratiâ tollit omnem reservationem respectu illorum qui volunt illud lucrari.

Q. 7. An si quis reservata cum aliis integrè Confessus habenti potestatem in illa, ab eo absolvatur licet invalide quoad remissionem peccatorum, ob suam indispositionem, tamen liberatur à reservatione, ita ut absolvi possit à quovis approbato?

Resp. Neg. Etiam si confiteatur Superiori Ordinario: quia Superior intra Sacramentum non intendit absolvere à reservatis, nisi per absolutionem Sacramentalem, quæ cum sit nulla, nihil efficit. Quòd si confiteatur habenti potestatem tantùm delegatam, adhuc certius est tunc non tolli reservationem: quia delegatus non potest reservationem tollere, nisi intra Sacramentum, ac proinde per solam absolutionem Sacramentalem validam: non enim potest illam tollere dando pœnitenti facultatem confitendi reservata Sacerdoti carenti potestate circa illa: quia hoc faciendo subdelegaret: at delegatus nequit subdelegare.

Q. 8. An Superior potest audire sola reservata, & absolvere ab illis pœnitentem, eum remittendo ad alium ut absolvatur à non reservatis?

Resp. Neg. Quia Confessio omnium mortalium, quæ Pœnitens potest hîc & nunc confiteri, est præcepta jure divino ad absolutionem, ex Trident. sess. 14. c. 5. Ergo non est in potestate Superioris ut dimidietur. Quòd si ei non vacat omnia audire, potest auditis solis
reser-

reservatis remittere pœnitentem ad inferio-
rem de omnibus ab eo absolvendum, & taxa-
re si velit pro iis pœnitentiam, & præscribere
remedia adhibenda: quo casu non absolvit
proprie, sed tollit reservationem. Valeret
tamen talis absolutio à solis reservatis, si pœ-
nitens sit rectè dispositus & in bona fide: quia
tunc adsunt materia & forma Sacramenti, &
aliunde defectus integritatis Confessionis non
est culpabilis ex parte pœnitentis, ut suppono:
Ergo tunc nihil deest ad veritatem & effectum
Sacramenti.

ARTICULUS III.

De Obligationibus Confessarii.

EJUS dotes comprehenduntur his versi-
bus.

*Sit probus, & fortis Confessor, sitque peritus,
discretus, patiens, mitis, pius, atque fidelis.*

De quibus consule libros de Officiis Con-
fessarii, & præsertim S. Carolum de instruct.
Confessarii, Loart. Fornarium, Garna-
rium, &c.

Q. I. Quenam scientia requiritur in Confessario?

Not. Agitur hic de scientia requisita ex par-
te Confessarii ad licitam absolutionem. Ad
validam autem requiritur secundum omnes,
teste Suarez, ut sciat absolutionem proferre,

Dd 5

& co.